



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCCIV. De Sadducæis negantibus Resurrectionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCCCIV.

*De Sadduceis negantibus
Resurrectionem.*

Matth. 22. v. 23. Marc. v. 12. 18. Luc. 20. v. 27.

PUNCTUM I. *In illo die accesserunt ad eum Sadducei qui dicunt, non esse Resurrectionem, & interrogaverunt eum &c. (postquam dubitandi rationem de Uxore quapiam, quæ septem viris successivè nupta erat, ei retulissent) In Resurrectione ergo, cuius erit de septem Uxor? Ad quam quæstionem, creditam ab ipis insolubilem, & ad Resurrectionis assertionem eructendam argumentum validissimum, Respondens IESVS, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque Virtutem DEI. (illæ enim clarè docent; ista verò, quia Omnipotens est, facilè potest efficere Resurrectionem mortuorum.) In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli DEI in Cælo. Matth. 22. v. 23. Omnino ergo vilia sunt omnia gaudia carnalia, cum indigna sint Statu Beatorum, qui, quamvis sit Status omnium Bonorum aggregatione perfectissimus, tamen ista non continet; unde ea à Beatis nec obiciuntur, nec appetuntur. Contemne ergo illa gaudia, quorum nec DEVS, infinitè Felix, nec Angeli, nec homines Beati, & Amicissimi DEO, capaces sunt. Et cum in Cælo simus futuri sicut Angeli DEI, studemus jam in terra imitari Angelicam Puritatem.*

PUNCT. II. *Neque enim ultra mori poterunt: equalis enim Angelis sunt. Luc. 20. v. 36. Considera rationem; quare Beati in Cælo Neque nubent, neque nubentur.*

IV. tur: Quia finis, ad quem ordinantur Matrimonia, nempe necessitas conservandi Genus Humanum, & loco morientium generandi alios homines, prorsus cessabit, eò quòd in Cælo nemo amplius moriturus fit, neque mori possit; quia omnes erunt æqualiter impassibiles, incorruptibiles, ac immortales, sicut Angeli. Itaque, quemadmodum Beati aspernantur carnis voluptates, tanquam nullam amplius habentes bonitatem (quia bonitas merè utilis cessat, cessante bonitate finis) ita & tu easdem aspernare, Spe certa Vitæ Æternæ, & pro obtinenda Vita Æterna; quam Christus illis promittit, *Qui seipso castraverunt propter Regnum Cælorum.* Matth. 19. v. 12. Hi enim neque nubent, neque nubentur, cum ultra mori non possint, & æquales sint Angelis. Vide etiam, quanta sit Dignitas hominis in statu Cælibatûs; de quo enim Pl. 8. v. 6. Regius Vates gloriosè quidem dixerat, Deo gratias pro honore referens: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ & honore coronasti eum:* hunc ad æqualitatem cum Angelis evehit Cælibatus. Qui enim *Neque nubent, neque nubentur* (ut sunt Cælibes) *erunt sicut Angeli DEI in Cælo &c.* Matth. 22. v. 30. *Equales enim Angelis sunt.* Luc. 20. v. 36. Unde sicut Angeli carent sensibus, sic omnium sensuum custodiâ & abnegatione, imitandi sunt.

PUNCT. III. *Et Filij sunt DEI, cum sint Filij Resurrectionis.* Matth. 22. v. 36. Hanc alteram causam assignat Christus Matrimoniorum in Cælo tollendorum. Quia Beati sunt Filij DEI per Gratiam Adoptionis, per quam cum Resurrectione ex mortuis, actu obtinebunt perfectam Felicitatem Corporis & Animæ: adeoque etiam secundum corpus fruuntur longè ma-

iori felicitate, quam sint omnes voluptates carnis
 Unde quemadmodum Filij Regij, Mensæ Regali affi-
 dentes, fastidiunt & aspernantur vilissimos cibos me-
 diastinorum, & multo magis brutorum; ita Beati-
 tanquam Filij DEI & Filij Resurrectionis, Mensæ Pa-
 tris Cælestis assidentes, nauseant voluptates carnis,
 & Conjugij carnalis, quibus in hac vita mancipia Dia-
 boli, & bruta etiam animalia fruuntur, equus, & mu-
 lus, quibus non est intellectus. Et tu ergo, cum
 ad Mensam Patris Cælestis jam sis invitatus, *serva fam-*
mem Cælestium Epularum delicijs, neque extinguas
 eam siliquis porcorum, aut vilissimâ escâ mancipio-
 rum, & brutorum: sed memor, te esse Filium DEI, &
 Filium Resurrectionis, id est, habentem Jus ad Re-
 surrectionem, cum fastidio omnis corporeæ oblecta-
 tionis dic: Major sum, quam ut Mancipium Corpo-
 ris mei efficiar.

MEDITATIO CCCCV.

De Mandato Magno in Lege.

Matth. 22. v. 34. Marc. 12. v. 28.

PUNCTUM I. *Pharisæi autem audientes, quod silentio*
imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum: & inter-
rogavit eum unus ex eis Legis Doctor, tentans eum: Magi-
ster, quod est Mandatum Magnum in Lege? (id est, in Vo-
lumine Legis, sive in Libris Moysis, quos Legem voca-
cabant) Considera, illos, qui non tentant DEVM, sed
qui illi sincerè servire, ac obedire cupiunt, non dis-
cutere, quod sit Magnum, quod parvum Mandatum
quod graviter & sub mortali, quod leviter & tan-